

ceptum de Fide, aliud vero de vitæ sanctitate. Utrique huic præcepto respondet obedientia duplex; una quæ dicitur Fidei, & in meritum Christi refunditur; Altera, quæ consistit in vero studio pietatis & Exercitio Christianæ Charitatis, & inde dependentium bonorum operum. Utriusque Præcepti mentio fit in S. literis. Prioris sc. *Fidei Joh. 6. Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra &c.* Utrumque hoc Præceptum D. Apostolus Johannes h. l. conjungit. *Hoc est præceptum ejus ut credamus &c. Et diligamus nos mutuo*: Observatio Mandatorum Dei, respectu fidei, illis inclusæ, est causa mansionis seu unionis spiritualis cum Christo juxta illud Ephes. 3. *Per fidem habitat Christus in cordibus* 1. Cor. 13. v. 16. *Vos estis templum Dei in quo Deus ipse habitat.* item 2. Cor 6. v. ult 1. Cor. 13. *Qui adheret Domino, unus est spiritu cum eo, adhaeremus autem Deo per fidem.* Per *τὸ habitare in cordibus* significatur gratiosa Dei inhabitatio. At respectu novæ obedientiæ, Charitatis sc. Christianæ & reliquorum bonorum operum inde pendentium, non est causa mansionis seu unionis spiritualis cum Christo, sed signum, *σημεῖον* seu nota unionis spiritualis cum Christo, juxta illud Christi Joh. 15. *in hoc cognoscent quod discipuli mei estis.* Est conditio quædam necessaria illorum, qui in Christo manere cupiunt; juxta communem Theologorum Regulam: *Multa sunt necessaria in subiectis justificandis & salvandis, quæ tamen causaliter ad ipsum justificationis effectum producendum non concurrunt.* Sic etiam hoc in loco observatio mandatorum Dei respectu fidei, inclusæ.

CAPUT. IV.

Charissimi ne cuius Spiritui credatis, sed probate Spiritus, *an ex Deo sint &c.* Hinc quæritur: Num etiam Christiani Laici de controversiis Theologicis judicare debeant? Resp. Potestatem judicandi & probandi *πρωτως* deberi ordini Ecclesiastico, propter donum Interpretationis sc. Scripturæ S. quod ordini Ecclesiastico promissum est, donum *διακριτικῶς* seu discretionis Spirituum; Verumtamen potestas hæc non (1) *Absolute*
L 3 sed